



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De Medico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ipsum munus Iudicis toties repetitum, quod hic, ubi agitur de iure, juxta quod Respublica vult Iudices dirigere, permixtissime militat. Scio Doctores non infimam contrariationem asserere, ut Ioan. Sanch. Saloni. Salas, Texeda, Gaspar. Hurtardus, alique apud Bardil. c. putant enim in hoc casu posse iudicem, cui voluerit, rem adjudicare; quia semper probabiliter, atque adeo praeponderanter adjudicabit. Sed profecto non probabiliter proxime propter novam hic superadditam rationem muneris Iudicis: nolo tamen a probabilitate saltem extrinseca tantorum sententiam Doctorum excludere.

Non nemo, videlicet P. Bardil. cit. a. num. 14. admitti hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto allatam, illamque peracriter probat, sed deinde c. num. 21. non admittit doctrinam a nobis modo num. 8. in quarto dicto traditam: Vt cum nec ipse tentat disparitatem asserere, ne solidam asserti posse mihi videtur.

10. Additum est autem semper in praedictis (civiliter) nam in criminalibus probabilibus puto Iudicem debere sententiam proferre in favorem rei iuxta rationes probabiles: si vero rationes circa factum sint, siue circa ius, ac parvi facere debere rationes probabiles, immo & probabiliores: quae essent contra eundem reum; sic Merolla l. c. d. c. 4. num. 180. Ratio est, quia pro criminalibus superadditur illa nova ratio, puta dispositio legum reg. 11. de reg. juris, in 6. cum sunt parvum iura obscura, reo favendum potius quam alicui. Per quas praescribitur ut quando iura parvum non sunt clara, faveatur reo: at instantibus rationibus probabilibus pro reo, rationes contra ipsum omnino clares non sunt, faveatur ergo reo, reo, inquam, qui proprie sic dicitur in criminalibus nam in civilibus, is, qui urgetur, proprie vocatur conventus.

11. Non nego probabile esse Iudicem non teneri ad se ita gerendum, licet possit; id enim non ignobiles Doctores viz. Saloni., Sayr. apud Merollam l. c. asserunt, juxta quam opinionem nonnulla attulimus in exemplis, §. procedente, traditis.

12. Quandoquidem de Iudice sermo est: Quaro, ubi sunt Respublica creati plures Iudices pro causarum decisionibus, potestque licite unus se remittere sententiae alterius? Respondeo. Absolutè non potest, quia ideo Respublica plures exposcit, ut plurimum suffragio, atque adeo cum majori cautione res decernantur, atque ad id Iudices acceptando officium cum Collegis, se tacite obligant. Lege Valq. p. 2. d. 64. c. 2. n. 5.

13. Illud licitum puto posse unum deponere suam opinionem probabilem, & sequi opinionem alterius, quem doctum, moribusque integris & fortasse se meliorem cum fundamento credit: id enim non est se remittere alteri, nec relinquere cognitionem causae, sed est ipsum moveri ad decidendum ex principio extrinseco probabili, nempe ex autoritate sui Collegae viri docti, ac iusti. Ne igitur incidat in errorem numero procedente dictum contra pactum initum cum Republica, consideret Iudex causam; quod si nihil clarum occurrat contra opinionem alterius Collegae, tunc enim vero poterit, modo dicto, ius se probabili sententiae remittere.

De Advocato.

14. Is potest sequi probabilem opinionem in advocando, etiam probabilioris relicta, dummodo de maiore probabilitate contrarij suum clientem admoneat. Sic Less. lib. 2. cap. 31. d. 9. Valq. p. 2. q. 19. art. 6. d. 64. cap. 1. num. 3. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. ultima. Ratio est, quia ex una parte Advocatus prudenter agit sententiam probabilem defendendo, & ex alia nulla lex id prohibet. Neque obstat tacitum pactum cum cliente, ne illum in periculum probabile amittendi causam deiciat; jam enim huic malo occurrat, dum ei major adversarij probabilitas explicatur. Nec rursus obstat illud: In dubiis reo, & possessori est favendum, & illud modo dictum: In pari casu pro possessore, non obstat, inquam, nam

haec siue ad Iudicem, siue ad privatum, quoad sibi rem vendicandam diriguntur, non verò ad Advocatum, qui favore suo clientem omni meliori modo, quo sine calumniis potest semper concesserunt leges; si quidem is nulli injuriam facit, partem minus probabilem defendendo, quam quin denique Iudex pro habente melius ius sententiam proferet. Nec denique obstant expensae diligantibus iterum faciendae, nam ad id dat Advocato rationabilem causam illa sua probabilitas, & spes, illa quamvis modica, quam habet, ut causae bene ex utraque parte coram Iudice discussa, pro se, ut non tardè accidit, sententia proferatur.

De Doctore.

15. Is, a quo petitur consilium, potest illud dare iuxta probabilem opinionem, etiam relicta propria, immo & probabilioris, quia semper consilium dat prudens: ita Castro P. tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 3. Sayr. uterque Sanchez, Valq. apud eundem. Nam propter eandem rationem Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 24. meritò concedit interrogantem, cui grata non est resolutio unius Doctoris posse quærere alium, qui benignius, sed tamen probabiliter loquatur.

Duas tamen adhibeo limitationes, primò quod si quis interroget tuam tuam stare tenentis, non alienam, quamvis probabilioris, Secundo, communiter qui petit consilium in casibus ad suam conscientiam spectantibus semper intendit noscere, an partem sibi benigniorem sequi se peccato valeat, verbi gratia, si quis petit quid faciat de invento aere, nullo domino post diligentiam comparente, petit an sibi possit illud retinere, id quod, quia est probabile, licet etiam sit probabile debere pauperibus distribuere, illud non verò hoc consilium dare, tenentis ex suppositione, quod consilium dare suscepisti; sic idem ibid. num. 4. Unde indoctos Confessarios, qui semper putant se bene facere obligando poenitentes ad restitutionem, quia id semper est tutius, reprehendo. Sanè si id, quod est tutius, cognoscere voluissent, tuum consilium non expectassent, sed ex se restituisent. Verum tu, dum faves alteri, tuo huic clienti iniquus es, qui non vult, nec tenetur restituere, nisi omnino debeat.

16. Dum idem Doctor siue publicè, siue privatè doceat, peccat mortaliter, si falsam in te gravi doctrinam praesertim in moralibus doceat; quia sic graviter Auditores decipit, viamque pandit erroribus, atque peccatis, sic Castro P. tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 3. num. 8. Docere tamen potest probabilis opinionem etiam praetermissis probabilioribus, modo non praevideat aliquid scandalum exiturum, quia sic jam se prudenter gerit, si quidem probabilem bene gerendi viam Auditoribus ostendit.

De Medico.

17. A Medico in medendo semper excipienda probabilior est opinio, ita Val. 2. d. 3. q. 2. versu Altero modo, apud Sanch. lib. 1. in Dec. cap. 9. num. 42. Nec sine peccato contra iustitiam aegroto probabile medicamentum applicabit; omisso cetero, vel probabiliori. Sic Bresserus lib. 3. de cons. cap. 9. n. 125. Ratio est, quia id requiritur lex, seu pactum tacitum cum aegroto initum. Medicus enim, & aegrotus tacite conveniunt, ut quandoquidem agitur de salute, eamque Medicus suscipit (quamvis sine pretio) conservandam, omni meliori modo medicamenta porrigat. Nam propterea non est Medico concedendum ut experientiam faciat de suis medicamentis, etiam in desperatis; sic Azor. Corduba, Villalobos, alique cum Castro P. l. c. p. 9. num. 3. tum quia non licet morte proximi, quam certè accelerati saepe continget cum ejusmodi experimentis, licentiam comparare: tum quia non observaretur dictum pactum de medendo omni meliori modo.

18. In

